

[BNP 6r; Stralsund 7r]

**FRANCISCI. DE MELLO. DE VIDENDI RATIONE ATQUE OCULORUM FORMA IN EVCLIDIS
PERSPECTIUAM COROLLARIUM.**

Luciferis quidem oculorum orbibus videndi facultatem tributam esse, nemo ambigit. sed qua Ratione illa perficiatur, a multis cum recentioribus tum antiquioribus Philosophis dubitatum, sumaque contentione disputatum est. quare nonnulla a nobis, hoc in loco obiter et perfunctorie de hac re disserenda sunt, non vt hanc ipse controuersiam. (velut arbiter honorarius) sopiam, quam certum est a multis eruditissimis viris fuisse diligentius examinatum, et sublimius tractatum. Sed vt facilius argumentorum vim Aeruditus Lector estimare possit, et iudicium si ingenio magis valeat, promptius censuramque adhibere. Vnum hoc benignum lectorem admonere uelim, ne cuncta illa quae a Philosophis complurimis sunt libris de videndi ratione complexa a me in presenti digressionem postulet. Sed ea solum, quae [BNP_6v] ad suscepti operis intelligentiam mihi conducere uidebuntur. Neue a nobis expectat florulente atque composite orationis cincinnos, sed concisum. Methamaticae breuitatis ordinem. Cui tamen reficiendi animi gratia. habenas nonnunquam laxauimus Audiet autem nudam veritatem nul[Stralsund 7v]lis uerborum lenociniis fucatum. Quapropter nonnulla a nobis forsitan altius repetenda erunt.

Postulata postulatumque primum.

Atque in primis receptum esse oportet, omne naturale agens celerius atque fortius in propinquum quam in distans agere.

Postulatum secundum.

Deinde visum simul cum lumine protendi siue is ab oculis desiliat, siue a re uisili in oculos iacularetur. Nam et in tenebris uideri quippiam nequit, quod tamen luce illustratum uisitur.